



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio Vltima. Quid sit principium individuationis accidentium realium, &
modorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

tionalis, & nihilominus conservare non solum individuationem animae rationalis Petri: sed etiam omnes gradus essentiales tam generici, quam speciei reperti in anima ipsa rationali, de qua loquimur, nulla enim identitas reperitur inter animam rationalem Petri, & animam rationalem Ioannis, in aliquo gradu tam individuali, quam essentiali ipsarum, solum enim datur aliqua convenientia, & similitudo inter gradus genericos, & específicos illarum animarum, & dissimilitudo inter gradus individuales earundem propter distinctionem virtutalem quae reperitur inter tales gradus, quae distinctio sufficit, ut detur à parte rei fundamentum, ut gradus illos genericos, & específicos praescindat ab individualibus, & ut sic praecisos concipiat, tanquam una, & eadem formalitas communis, & indifferens multis, ratione cuius conceptionis, & fundamenti reperti à parte rei Metaphysice loquendo solet dici hanc, & illam animam esse eiusdem speciei, & eiusdem essentiae, & talem essentiam esse communem, & indifferentem, ac ex se non allegari potius ad hanc individuationem quam ad aliam, quod debet intelligi in ordine ad nostram cognitionem, & rationem concipientem res aliter, ac sunt formaliter solum propter aliquod fundamentum, quod reperitur in rebus, nam si nobis loquendum sit de rebus ut sunt à parte rei formaliter, sine dubio à nobis cum veritate asserendum erit hanc essentiam huius animae rationalis, & quicquid est in ea à parte rei esse individuationem, & singularitatem, quia à parte rei haecceitas, singularitas, & individuatō talis animae rationalis est idem, quod tota entitas animae rationalis Petri; & quod omnes gradus essentiales ipsius animae rationalis, ac proinde quicquid est in tali anima distinguitur realiter, & à parte rei ab omni, quod est in alia anima, quia quicquid est in anima Petri, v. g. identificatur realiter cum individuatione animae Petri; unde essentia animae Petri, non est indifferens, nec communis multis: sed determinata ad individuationem; unde talis essentia, quatenus à parte rei existit ex se, & intrinsece individua, & singularis est; & individuatō eius, tanquam individuatō rei simplicis, non habentis principium intrinsecum, nullum eadem ipsa principium à quo sumatur.

Ad tertium eodem modo respondeo ac responsum est ad reliqua argumenta huius sententiae; nam licet verum sit, quod essentia animae Petri, v. g. non sit principium individuationis illius animae, quia non distinguitur ab ipsa individuatione; principium enim verum, & reale distinguitur realiter à principio, nihilominus tamen certissimum est, talem essentiam à se esse individuum, in sensu à nobis supra late explicato, quia ex sua natura, & ex se petit identificari realiter, cum differentia individuali propria, ratione cuius formaliter individua est.

Ad ultimum respondeo eadem responsione; adversarij enim illo argumento solum probant essentiam non esse verum principium individuationis, quod nos libenter fatemur, ut ex dictis patet, non autem probant suam rationem talem essentiam ex se, & ex sua entitate, seu natura non esse individuum, cum ex sua natura talis essentia sit eadem entitas, cum individuatione propria, quam individuationem non habet essentia ab aliquo principio intrinseco distincto à se: sed à

se ipsa, sicut quaecunque res simplex, v. g. Gabriel, à se, & non ab alio distincto principio à se est Angelus, & Gabriel Angelus, & talis Gabriel individuum, scilicet substantiale Angelicum; unde id, quod addunt adversarij dicentes essentiam animae indigere addito individuationis, id est, quod addatur individuatō supra essentiam, ut fiat singularis, in æquivoco laborat; nam si loquuntur de additione à parte rei, falluntur sine dubio, quia differentia individualis nullo modo additur realiter supra essentiam, cum talis essentia, ut saepe diximus, non distinguitur à parte rei, à differentia individuali; sed potius identificetur essentia, cum tali differentia; & sint una, & eadem entitas à parte rei, ac proinde sit verum dicere essentiam ex sua entitate esse individuum à parte rei, quod nos asserimus in nostra conclusione, si autem loquantur adversarij de additione per rationem, non est ad rem talis additio, quia cum sit ficta, nihil operatur in rebus, quae sunt à parte rei, & è quibus ut sic, & in illo statu loquimur.



QVÆSTIO VLTIMA.

Quod sit principium individuationis accidentium realium, & modorum.

SECTIO I.

Sententiae Adversariorum proponuntur.

PRIMA sententiam asserit accidentia realia, & modalia individuari intrinsece à subiecto: sic Thomistae communiter, & probatur.

Primo, quia accidens habet totum suum esse in ordine ad subiectum; sed singularitas accidentis est esse accidentis; ergo singularitatem, & individuationem sumit accidens à subiecto; hæc consequentia sic probatur, quia unaquæque res debet individuari eisdem principiis à quibus habet esse, sed esse habet à subiecto intrinsece, tanquam à principio: ergo individuationem habet ab eodem.

Confirmatur, quia individuatō est vnitas: sed vnitas sumitur ab illo à quo sumitur esse & esse sumitur à subiecto: ergo & vnitas, quia vnitas ab eodem sumitur, à quo sumitur essentia, quia ab eodem à quo sumitur principale, & essenziale sumitur accessorium, & attributale: sed vnitas est attributum essentiae; & essentia sumitur à subiecto; ergo vnitas debet sumi ab eodem.

Secundo probatur, quia si accidentia non individuarentur ab eodem subiecto, possent plura accidentia solo numero differentia in eodem subiecto recipi, quia non obstante identitate subiecti habere possent inter se distinctionem; unde nulla posset ratio huius repugnantiae assignari; videmus autem idem subiectum non posse duas albedines, vel duos calores recipere: tota ergo ratio huius est; quia à subiecto individuantur.

Secunda sententia asserit solos modos individuari à subiecto, & non accidentia realia, hæc sententia sic probatur, quia modus quatenus distinguitur

distinguitur à re, ita afficit subiectum; vt constituit in hac tali affectione, sine aliqua potentialitate, & ita dependet à subiecto, vt nec esse, nec concipi possit sine illo: ergo ratione actualis huius affectionis, & dependentiæ, fatendum est necessario modum accipere totum suum esse à subiecto; sed individuationis, & singularitatis modi esse esse modi: ergo singularitatis, & individuationis illius sumitur à subiecto.

6 Confirmatur, quia modus ita dependet essentialiter à re cuius est modus, vt nec per potentiam Dei absolutam possit esse separatus ab illa, & ideo figura vnus non potest esse sine hac re numero figurata cum alia, vel sine omni re, & actio qua producit hic numero terminus, non potest producere alium terminum distinctum: ergo signum evidens est talem terminum esse principium individuationis illius actionis.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur.

Prima conclusio: accidentia realia non indi-viduantur intrinsece à materia prima, vel à subiecto illorum, &c.

7 Probatum primo, quia illud est principium intrinsecum individuationis alicuius, quod est intrinsece constitutum illius, vt supra diximus: sed subiectum substantiale non est constitutum intrinsecum accidentis; albedo enim non constituitur in suo esse per hominis entitatem, vel essentiam, quæ est subiectum albedinis: ergo accidens non potest individuari à subiecto intrinsece; minor sic probatur, quia illud, quod est constitutum alicuius, est de essentia illius, sed substantia completa, quæ est subiectum accidentium, v. g. homo, non est de essentia quantitatis, quia substantia adæquate, tanquam excludens ab exclusio distinguitur ab accidenti, & etiam accidens ad substantiam.

8 Clarius exemplum, subiectum non potest esse principium individuans accidentia, quia tantum esse potest huiusmodi principium intrinseca entitas ipsorum accidentium. Antecedens patet, quia subiectum non potest dici principium intrinsecum individuationis accidentis, tanquam intrinsece, & per se componens, vt diximus accidens, quia hic non agimus de composito ex subiecto, & accidenti, scilicet de concreto accidentali, de albo nimirum, sed de ipsa accidentali forma, de qua constat non componi intrinsece, ex ipso subiecto, & alia forma, quia procederet in infinitum, nec potest dici quod componitur ex ipso subiecto solum, primo, quia iam albedo adæquate est substantia, & idem est de quantitate, quia adæquate subiectum albedinis, vt est homo, substantia est.

9 Secundo, quia nunquam datur compositum ex vna parte tantum, sed ex duplici parte: de subiecto constat iam, quod sit substantia, de alia autem parte distincta à subiecto interrogo, an sit accidentalis forma, vel substantialis; si substantialis, iam totum accidens erit adæquate substantia, scilicet accidentalis; de illa iterum interrogo, an sit composita ex subiecto, & alia forma, vel non? si est composita, procedetur in infinitum; si non est composita, iam illa forma accidentalis non individuabitur à subiecto intrinsece, & cum re-

ster à quo individuatur, individuabitur à se ipsa: ergo iam accidens intrinsece non individuatur à subiecto, vt Adversarij asserunt.

Præterea, quia vnaquæque res, per illud idem formaliter, & intrinsece est vna numero, per quod est ens actu intrinsece in rerum natura, vel aptum vt sit huiusmodi, quia omne actu ens existens est singulare; sed omnis res per suam entitatem est intrinsece, & formaliter, & actu existens: ergo per eandem entitatem est singularis; atqui accidens est res actu: ergo est res singularis actu per suam entitatem.

Secundo sic probatur, quia si Deus crearet accidens sine subiecto, vt nunc conservat quantitatem, & qualitatem in hostia consecrata, illud accidens, non haberet subiectum à quo individuaretur intrinsece, quia non componitur ex subiecto, sed esset tota, & adæquata forma accidentalis cum perfecta singularitate separata ab omni subiecto, & ex alio capite non potest Deus supplere causam intrinsecam, & ideo nec potest creare hominem sine anima, vel sine materia prima, nec conservare illum sine aliquo ex partibus essentialibus: ergo illud accidens, quod creatur de novo perfecte individuum, & quod de novo conservatur sine subiecto in Eucharistia, non petit subiectum, vt intrinsece constitutum illius in esse individui, quia si esset tale subiectum constitutum accidentis, nullo modo posset accidens conservari sine illo, sicut Deus non potest conservare album sine subiecto, nec hoc album sine singulari subiecto, quia album necessario, & essentialiter vt concretum petit subiectum: ergo si Deus creat, & conservat accidentia sine subiecto, subiecta non erunt intrinseca principia individuationis accidentium; vnde nec illa, quæ actu conservantur sine subiectis quando inhærebant in illis, non habebant illa pro intrinsecis constitutivis, quia si illa haberent, postea non possent à Deo sine illis conservari, quia Deus non potest vt diximus supplere concursum intrinsecum partium essentialium.

Confirmatur ex Scoto in 4. dist. 12. q. 2. quia nihil vnus generis, & prædicamenti ponitur inesse per aliquid alterius prædicamenti, & præsertim hoc verificatur de illo, in illo primo prædicamento, huiusmodi sunt singularia in vnoquoque prædicamento, sed substantia, & accidentia sunt in diversis prædicamentis; ergo Maior patet, quia prædicamenta sunt impermixta, & præterea accidens singulare secundum se consideratum non esset vnum ens per se, sed per accidens, scilicet compositum ex substantia, & accidenti, quod est absurdum.

Præterea in quolibet genere est reperire supremum, in illo genere, & omnia media genera, & species: ergo est invenire quoque infinitum in illo genere, de quo omnia illa prædicentur, alioquin prædicatione superiorum de inferioribus in illis generibus, non essent per se, sed per accidens, quia supremum esset præcise de illo prædicamento accidentis singulare esset, partim illius prædicamenti, partim substantiæ; principium enim individuationis per se, & intrinsecum, de quo nunc loquimur, intrinsece constituit individuum; ideo si sit substantiale, substantia intrinsece constituet accidens, quod est absurdum.

Dices, saltem individuari à subiectis accidentia tanquam à termino suæ relationis.

Contra, quia hoc accidens numero non petit ex

ex se, & ex sua essentia magis esse in hoc subiecto, quam in alio; unde ex se poterat successive in varijs subiectis numero distinctis inhaerere, quod sic convincitur, quia vnaquaeque materia prima cuiusque individui habet aptitudinem ut habeat hoc, vel illud accidens indifferenter in infinitum: ergo ex sua parte non repugnat accidens esse in hoc, vel in illo subiecto, tum quia impossibile est, quod natura in se, & sibi opponatur; nam ipsa natura facit, ut materia habeat aptitudinem ad infinita accidentia, & ad quaecunque quae etiam sunt in alio subiecto, quod sic demonstratur; nam quaecunque materia est indifferens ad recipiendam quancunque numero formam substantialem, etiam quae possit esse in alijs in infinitum materijs: sed quod est capax formae substantialis est capax dispositionum ad illam, tum quia materia non potest recipere formas, nisi disponatur ad illas per dispositiones debitas talibus formis, tum etiam, quia quod est capax finis, est capax mediorum ad finem: sed forma, & introductio illius est finis, dispositiones autem quae sunt accidentia sunt media ad illam introductionem: ergo quaecunque materia quae potest recipere eandem numero formam substantialem, potest etiam recipere eandem numero accidentia, quae alia materia poterat recipere, siquidem recipit, & consequitur, vel potest consequi eundem numero finem, id est eandem numero formae introductionem; ergo accidentia, quae reguntur ab eadem natura, quae facit, ut materia petat quaecunque accidentia numero poterunt esse in quacunque materia; imo non potest iterum facere natura, quod haec accidentia repugnent huic petitioni materiae, quia iam natura sibi ipsi repugnet, ut dixi, quod est absurdum, nam potentia passiva fit a natura propter exigentiam actus informantis; nam sicut absurdum, & impossibile esset, quod intellectus meus peteret producere intellectionem circa Angelum, & ex alio capite, quod intellectus ipsa esset improductibilis a meo intellectu cum impossibili actu impossibilis sit potentia tam activa, quam passiva, & si potentia est possibilis, tam actus productus, quam informans possibiles sunt, sicut si materia prima mea habet potentiam, ut recipiat formam cadaveris, nullo modo potest dici, quod talis forma est impossibilis respectu illius, tum etiam, quia potentia, & actus naturalis sibi mutuo correspondent; unde potentia non respicit naturaliter, nisi actum illum, qui aptitudinem habet naturalem, ad informandum illam, ex quibus sequitur necessarium, quod eadem accidentia numero, quae sunt in hoc obiecto, quantum ex se, non sint determinata ad hoc numero subiectum: ergo non accipiunt ab illo suam individuationem, quia si illam a tali subiecto acciperent, determinarentur necessario per illam determinatam individuationem ad illud determinatum numero subiectum, sicut quia praesentia haec determinatur ad hunc numero locum, praesens ut tale, seu ubicatum per ipsam determinatur etiam ad ipsum numero locum. Praeterea, quia nullum indicium datur, nec a priori nec a posteriori, ut hoc accidens numero, v. g. haec numero quantitas, vel qualitas, quae accidentia communia sunt creata a principio sine subiecto, quod ex sua natura petant hoc potius, quam illud subiectum.

R. P. Ideph. de Penajels Theol. Schol. Tom. I.

Confirmatur, quia licet haec forma accidentalis semel facta in hac, & ex hac materia vel subiecto, non possit esse in alio naturaliter propter dependentiam, quam habet ab illo, quae dependentia talis est, ut nec accidens illud possit naturaliter conservari, sine illo genere causalitatis materialis, nec etiam aliqua via sit, aut modus naturalis, quo possit hoc accidens, in aliud subiectum transferri, ut ab illo conservetur, nihilominus tamen si entitas talis accidentis secundum se consideretur, non videtur eius aptitudo intrinseca determinata ad inhaerendum in hoc subiecto, ita ut intrinsece sit ineptum ad informandum quodcunque aliud subiectum numero distinctum: ergo non recipit suam intrinsecam individuationem ab hoc numero subiecto, non solum intrinsece, tanquam a constitutivo: sed etiam haec tanquam a termino suae habitudinis, seu aptitudinis inhaesive. Probatur consequentia, quia non est hoc subiectum terminus adequatus illius habitudinis, quandoquidem aptitudo huius accidentis secundum se aequae naturaliter posset exerceri in alio; vel alio subiecto, si in quolibet poneretur; nam quod per causas naturales solum ponatur in hoc subiecto, & non in alio, non tollit intrinsecam aptitudinem eius, neque facit ut hoc subiectum sit adequatus terminus illius, sicut est fortasse in universo aliquod subiectum, quod semper fuerit, & semper erit, sub eisdem numero accidentibus, ut fortasse est hoc caelum, nec est via naturalis ad varianda illa, & non propterea aptitudo illius subiecti est determinata ad talia accidentia: antecedens sic suadet, quia de potentia absoluta hoc accidens transferri posset in aliud subiectum, & illud informare: ergo signum est esse in tali subiecto accidenti aptitudinem naturalem intrinsece ad inhaerendum alteri, quantum ex ipso est. Probatur consequentia, quia licet actio illa, seu transmutatio huius accidentis a subiecto in subiectum esset supernaturalis quoad modum; terminus tamen productus naturalis esset, compositum enim illud ex tali forma accidentali, & subiecto naturaliter subsisteret.

Vergetur amplius, quia ignis in se virtutem habet ad plures calores producendos, eius enim essentia secundum se considerata aequalem virtutem habet contentivam illorum calorum, nam illi essentialiter continentur in potentia ignis, quos successive potest producere, lignum item cui applicatur secundum se consideratum indifferens est ad plures calores ab eodem igne recipiendos quos recipere potest successive, locus enim & tempus, & ceterae circumstantiae extrinsecae, non determinant causam activam, aut passivam ad aliquem calorem potius, quam ad alium, tum quia locus, & tempus, nec sunt operativi caloris, nec conferunt igni virtutem activam; tum quia in eodem loco possunt esse plures calores, & idem est in eodem tempore, quia tempus est valde extrinsecum, unde nihil imprimit causis; tandem, quia si alius calor in eo produceretur, quid intercallet temporis, quod ex se non respicit calorem, nec calor tempus, cum in diversis posset existere: ergo nihil creatum est, quod determinet causas secundas ad hunc numero calorem vel faciendum, vel accipiendum, unde omnis causa receptiva caloris indifferens est respectu huius, vel illius caloris; unde etiam ca-

T t lor

330 Disp. IV. De principio individuationis,

lor indifferens est ad hunc potius subiectum, quam ad illud.

16 Tercio sic probatur principaliter, quia si hæc numero quantitas, v.g. tantum esset apta ex se ad inhaerendum huic numero subiecto, omnes illæ quantitates, quæ possent illi numero subiecto inhaerere, & idem est etiam in albedine, & in cæteris qualitatibus diversis temporibus haberent in se aliquam convenientiam realem quam non haberent cum quantitatibus inhaerentibus alijs subiectis, quia omnes illæ quantitates haberent aptitudinem ad inhaerendum huic numero subiecto, cui aliæ quantitates inhaerere non possent, atque ita sub conceptu specifico posset dari conceptus obiectivus, quantitativus, vel qualitatibus completus, & communis multis individuis illius speciei, & non alijs intra eandem speciem, quod videtur absurdum; nam illa convenientia cum sit realis, & non individualis, quia in individui conveniunt omnes, sed qualitativa, aut quantitativa erit etiam essentialis talibus accidentibus, & consequenter species ultima erit divisibilis per plures differentias essentielles, quod involuit apertam repugnantiam, quia esset ultima, & non ultima species.

17 Quarto probatur principaliter, quia in eadem potentia visiva sunt actu multæ visiones solo numero differentes plurium hominum, quia per eandem numero visionem non possunt videri, v.g. Petrus, & Ioannes, visio enim est imago naturalis, & propria rei visæ, & una imago non potest esse alterius, nec representare aliud respectu cuius non est imago, propter intrinsecam coaptationem imaginis cum imaginato, alias esset imago, & non esset imago; unde eadem potentia visiva, quæ simul representat Petrum, Ioannem, & Paulum, debet representare illos per plures visiones, quæ recipiuntur in ipsa: at tales visiones non sunt accidentia specie, sed solo numero distincta, cum obiecta, quæ representant solo numero distinguantur; ergo iam plura numero accidentia subiectantur simul in eodem subiecto: ergo non individuantur ab illo; item certum est eandem numero partem manus, nunc calefieri calore ut vno, & postea frigeri, quo frigore destructo, postea atque iterum calefit manus calore ut vnum: ecce duos calores, qui non distinguuntur nisi numero inhaerent successive in eodẽ numero subiecto; ergo non individuantur ab ipso, quia illud subiectum ex vna parte non constituit illa individua caloris effectivè libere, ut nunc hanc, nunc illam individuationem tribuat, sed per suam formalissimam individuationem, quæ semper est eadem numero sine variatione, & operatur suo modo naturaliter sine libertate talem individuationem ut ita dicam, dando omne id, quod habet sive terminative, sive intrinsece constitutive, ubi nulla potest esse variatio in effectu, sicut quia eadem anima rationalis est causa huius individui per suam ipsam entitatem naturaliter, & sine libertate, quotiescunque constituerit hæc forma semper constituet eundem numero hominem sine aliqua variatione; ergo si datur variatio in accidentibus respectu eiusdem numero subiecti, subiectum non potest esse principium individuationis illorum.

Vergetur, quia in sententia Thomistarum materia prima individuat ab accidentibus, & subiectum totum à materia prima: ergo accidentia

non individuantur à subiecto, quia committeretur circulus vitiosus; nam si subiectum individuetur à materia prima cum accidentibus, & accidens à subiecto, de primo ad ultimum accidentia individuantur à se ipsis, quia quod est causa causa, est causa causati.

Magis explicatur circulus, nam inquirendo, 18 ut iam dixi individuationem materiae, recurrunt Thomistæ ad singularitatem quantitatis: de hac autem rogati confugiunt ad singularitatem materiae, quæ delineatio, ut sic loquar ad idem punctum redit unde progressa est, & sic fiet circulus cuius definitio est, secundum Euclidem, progressio ab eodem puncto redeundo ad ipsum; unde licet figura circularis inter Mathematicas sit perfectissima, nihilominus responsio circularis vitiosissima est in metaphysica. Deinde si accidens accipit intrinsecam individuationem à subiecto, non potest eidem subiecto ullam individuationem communicare accidentis, nisi quam ipsum ab eodem accipit subiecto: ergo accidens non individuat à subiecto, sed à se ipso.

Deinde probatur cum Hurt, quia individuat 19 accidentis intrinseca est accidentalis, nam sicut substantia ex substantijs componitur; ita accidens ex accidentibus: ergo individuat non à subiecto, nam subiectum est substantia.

Confirmatur, individuat accidentis est idem 20 cum eius essentia: sed subiectum non est idem cum essentia accidentis, ut ex terminis patet: ergo subiectum non est individuat accidentis; unde excludendi sunt, quiasserunt accidens individuari intrinsece per subiectum, & ea ratione probant duo accidentia, nec de potentia absoluta posse esse simul in eodem subiecto; nam eadem ratione, nec successive possent esse, quia esset eadem ratio ea individuari, & ab eadem individuatione non possent constitui plura individua.

Secunda conclusio: Modi substantiales physice 21 individuantur à se ipsis, metaphysice vero à proprijs differentijs individualibus, & probatur hæc conclusio eisdem rationibus, quibus superior, & deinde, quia incommunicabilitas quam addit individuum supra entitatem est negatio immediate fundata in entitate intrinseca individui; ergo ab illa, & non ab alio desumenda est intrinseca eius individuat: deinde, quia individuat intrinseca modi, v.g. unionis, vel fumeretur intrinsece à materia vel à forma, quas vnit inter se, vel ab utraque simul: sed à neutra seorsum, nec coniunctim; ergo non seorsum, quia à neutra intrinsece componitur, est enim suo modo modus omnis simplex, & incompositus physice ex partibus formalibus, & potentialibus, neque ab utraque coniunctim ob eandem rationem: ergo.

Secundo sic probatur, quia ut patet ex dictis 22 in Logica, in eodem Patre multiplicatur multæ relationes numero distinctæ, ad multiplicationem terminorum, numero distinctorum: atqui illæ relationes numero distinctæ, ut ex ibi dictis patet, sunt modi reales: ergo plures numero distincti modi reales simul, sunt in eodem subiecto: ergo tales modi non individuantur ab illo, propter rationem dictam de accidentibus.

Confirmatur evidentius hoc ipsum, quia in vestra sententia intentio qualitatis non fit per aditionem gradus ad gradum, sed per maiorem radicationem in subiecto; atqui hæc maior radicationem in subiecto; atqui hæc maior radicationem in subiecto, nisi pluralitas, 23

& multiplicatio vnionum eiusdem qualitatis circa idem subiectum; nam ideo magis radicatur illa qualitas, quia datur de novo alia vnio illius qualitatis ad subiectum per quam magis vnitur, & magis inhæret qualitas, quæ tantum quomodocumque vnietur per primam vnionem: atqui illa pluralitas vnionum est pluralitas, seu multiplicatio entitatum modalium, non speciei, sed solum numero distinctarum, quod sic probatur, quia specifica ratio modi vnionis debet sumi à partibus vnitis, quia tota ratio essentialis vnionis est in ordine ad vnienda extrema vnibilia inter se, sed extrema illa respectu omnium vnionum sunt eadem, quia eadē numero qualitas vnitur ad idem numero subiectum per omnes illas vniones: ergo omnes illæ vniones sunt modi eiusdē speciei: ergo si ex alio capite sunt plures realiter distincti, solum numericæ distinguuntur à parte rei: ergo plures modi numero distincti sunt eodem subiecto simul per vos: ergo iam modi non indiuiduantur à subiecto, quia iam non plurificarentur in eodem indiuidualiter, si ab ipso singularisarentur, vt vos in fundamentali ratione asseritis.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria solvuntur.

23 **A**D primum argumentum primæ sententiæ distinguo maiorem cum P. Suarez, habet totum suum esse in ordine ad subiectum, id est dicit relationem transcendentalem ad illud ab ipsoque dependet intrinsece concedo, adhuc in quantum indiuiduum est habet totum suum esse, id est indiuiduatio subiecti est principium intrinsecum indiuiduationis accidentis nego; unde explicata æquivocatione argumenti tota corruit, ac funditus labefactatur vis illius ratiocinationis, aliud enim est dependere aliquid ab aliquo in indiuiduatione, aliud est intrinsece indiuiduari ab illo, v.g. in vestra sententia anima rationalis dependet per relationem transcendentalem à Deo, in sua indiuiduatione, quia tota origo indiuiduationis animæ rationalis, refunditur in primam causam, quia illa est, quæ determinat quoad indiuiduum in productione, id est tota causa, quare producit indiuiduum hoc potius quam illud est prima causa, Deus videlicet; unde propter has omnes rationes, quæcunque creatura, licet corporea, vel spiritualis dependet à Deo in sua indiuiduatione, & nihilominus Angelus, & anima rationalis, v.g. non indiuiduantur à Deo intrinsece, nec sumunt singularitatem aut indiuiduationem tanquam à principio intrinseco à Deo; ergo similiter accidens, licet vt indiuiduum dicat ordinem transcendentalem ad subiectum ab ipsoque dependeat, nihilominus non est necesse, vt indiuiduetur à subiecto; nam aliud est habere indiuiduationem in ordine ad aliquod ab ipsoque dependere in illa, aliud est indiuiduari ab ipso intrinsece, vt patet ex dictis.

24 Ad confirmationem concedo maiorem; concedo item primam partem minoris, ad secundam negatur in sensu à nobis explicato, in responsione ad Argumentum superius, quia vt ibi diximus, aliud est dependere ab ipsa in esse vt à materiali causa, ab aliquo vt accidens dependet à subiecto, aliud est subiectum esse principium intrin-

secum illius esse indiuidui, quia potius subiectum respectu accidentis, quasi extrinsece se habet; respectu autem compositi ex accidenti, & subiecto dicitur intrinsecum principium, & adhuc in illo genere extrinseco per modum termini habitudinis, non est principium indiuiduationis accidentis subiectum propter rationes supra traditas in nostra conclusione.

Ad vltimum, si loquatur naturaliter illa maior, 25 & de duobus accidentibus eiusdem rationis, vt sunt duo calores vt vnum simul negamus illam, quia licet habeant distinctionem indiuiduam in se, cum vnusquisque calor sit sufficiens ad reddendum subiectum calidum vt vnum, superfluit alter calor vt vnum, ratione cuius superfluitatis non possunt dari duo calores vt vnum naturaliter simul, quia natura nihil superfluum paritur, & frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora, vt est axioma certissimum in Philosophia, & hæc præter alias etiam est ratio, quare naturaliter non possint duæ formæ substantiales similes informare vnica materiam; ex quibus colligitur, non ideo non posse duo accidentia similia esse in eodem subiecto, quia indiuiduantur à subiecto, vel differant per ipsum, sed propter rationem dictam; nam si accidentia propter rationem adversariorum non possent esse simul in eodem subiecto, nulla duo vel plura accidentia, nedum eiusdem speciei, sed neque diversarum specierum possunt esse in eodem subiecto; consequens est aperte falsum, quia in eodem indiuiduo substantiæ est quantitas hæc, & hæc qualitas; nam in eadem parte sacari vel lactis est albedo, & dulcedo, quantitas, & qualitas, & diversæ qualitates speciei, & numero. Deinde, quia non minus repugnaret propter illam rationem esse in eodem subiecto, simul naturaliter duo, aut tria accidentia dissimilia, numero distincta, ac si essent similia, quia tam hæc, quam illa indiuiduantur à subiecto, sed nihilominus duo accidentia dissimilia solo numero distincta sunt de facto in eodē subiecto, vt sunt duæ visiones duorum obiectorum solo numero distinctorum; ergo ratio quare duo accidentia similia non possunt esse in eodem subiecto, non est quia indiuiduantur ab illo, sed potius quia quando illa habent omnimodam similitudinem, nullum agens per se intendit, vt bene docet P. Suarez, aut pluralitatem eorum aut aliud inducere in subiectum iam habens aliud omnino simile, quia solum intendit agens reddere passum sibi simile, quod per vnā tantum huiusmodi formam satis consequitur; at vero quando accidentia non sunt prædicto modo similia, cessat hæc ratio, & subiectum indiget maiori assimilatione, & ideo agens etiam illam procurat, vt v.g. quamvis medium excepta specie Petri, sit illi simile intentionaliter non est sufficienter simile Paulo, & ideo manet in Paulo virtus ad inducendum speciem, qua illud reddat sibi simile, & sic de alijs, quod melius explicatur ex parte subiecti, & ex capacitate illius, sicut enim materia prima, quamvis sit indifferens ad omnes formas substantiales, non tamen habet capacitatem ad habendas omnes simul neque plures, quia vna forma sufficienter actuatur, ita etiam subiectum accidentium, quamvis per se primo sit capax alicuius speciei accidentis, & consequenter sit indifferens ad quodlibet indiuiduum eius, nihilominus non est capax vt simul recipiat omnia vel

Tr 2 plura

plura individua talis speciei, quatenus in eis specifica ratio eodem modo reperitur, quia sufficienter actuatur huiusmodi capacitas una forma talis speciei, & hoc contingit quando individua formae sunt omnino similes, & eiusdem rationis, & habitudinis, quando vero accidentia dissimilia sunt, & varias habent habitudines, tunc unum non sufficit ad replendam capacitatem subiecti, & ideo fieri potest ut in eodem subiecto multiplicentur, donec capacitatem eius omnino repleant, ut potentia intellectiva, quatenus est capax scientiae naturalis Dei, vel hominis sufficienter disponitur in actu primo, una numero scientia metaphysica, vel Philosophica, & ideo iam non manet capax alterius scientiae, similis tamen eadem facultas intellectiva, ut est capax actualis cognitionis hominum, non plene actuatur uno actu, quo Petrum vel Paulum cognoscit, neque una specie intelligibili, & ideo est capax plurium, donec eius facultas sufficienter compleatur, quia illa plura non actuant illam omnino eodem modo: sed in ordine ad diversa; unde evidenter colligitur non provenire per se ex individuatione, quod aliqua accidentia solo numero diversa non possint esse simul in eodem subiecto; nam licet in eo simul essent, ut mirabiliter advertit magnus Suarez, possent optime intelligi distincta numero ratione suarum entitatum, sicut distinguuntur ea, quae simul esse possunt, ut dictum est, vel sicut distinguuntur ea, quae successive insunt eidem subiecto, sed quod aliqua in esse non possint, provenit, ut iam dictum est, ex incapacitate naturae subiecti, & adaequatione quae inter potentiam receptivam eius, & talem actum reperitur: ex quo infero de potentia absoluta non repugnare plura accidentia solo numero differentia, etiam si sint omnino similia, simul poni in eodem subiecto, quia ex individuatione, & distinctione eorum non repugnat, & Deus potest operari in subiectum ultra naturalem capacitatem eius, & si Deus id vellet facere ad ostensionem omnipotentiae suae, non esset omnino superfluum.

26 Ad argumentum secundae sententiae respondeo ex P. Suarez *dispur. 5. sect. 7.* concedendo antecedens, & negando consequentiam, aitque eorum, quae in antecedenti assumuntur causam esse identitatem realem modi cum re, cuius est modus optima solutio, verum omnino non solvit argumentum, quia identitas inter rem, & modum non est proprie identitas, cum inter utrumque mediet distinctio ex natura rei, nos autem respondemus argumento, ut responsum fuit sententiae ratione primae sententiae.

27 Ad confirmationem eodem modo respondeo, nam liceat modus ita dependeat à re cuius est modus, ut nullo modo possit existere sine illa, nihilominus non individuatur ab ipsa; aliud enim est individuari ab aliquo; aliud autem dependere ab illo quomodo cumque, ut ex supra dictis clarissime, ac evidentissime patet; unde licet individuatione modi dependeat à re, res autem non est principium individuationis modi.

DISPUTATIO V.

De natura, & essentia distinctionis.

QVÆSTIO I.

In quo consistat distinctio formaliter.

SECTIO I.

Sententia Adversaria declaratur ac probatur.

PRIMA sententia asserit distinctionem formaliter consistere in negationem identitatis; hæc sententia est Thomistarum, quam sequitur, P. Suarez in *metaph. 1. tom. disp. 7. num. 3. §. Tandem animadvertendum.*

Probatur primo ex Arist. in *Prædicamentis, c. 3. 2* & lib. 5. *metaph. cap. 15.* ubi asserit relationes primi generis in unitate fundari, & diversitate, sic omnes interpretantur, fundari in unitate, vel numero, quia ubi est numerus non est multitudo, ubi autem est multitudo ibi est distinctio, atque divisio: ergo apud Aristotelem, ipsa distinctio, vel diversitas non est relatio, sed præsupponitur ad relationem tanquam fundamentum. Patet consequentia, quia diversitas, vel ipsamet distinctio in communi modo loquendi, vel specialis species distinctionis: sed Aristoteles asserit diversitatem esse fundamentum relationis: ergo talis distinctio seu diversitas non est ipsa relatio intrinsece, & formaliter, cum relatio non sit suum fundamentum.

Confirmatur, relatio ista primi generis, quae fundatur in diversitate est relatio realis distinctionis: ergo hæc secundum Aristotelem non est ipsa distinctio seu diversitas, sed ad distinctionem consequitur, tanquam relatio ad fundamentum suum.

Probatur secundo ratione fundamentali, inter 4 duo entia positiva, quae actu existunt, ut inter Petrum, & Paulum prius intelligitur distinctio, quam relatio prædicamentalis distinctionis: ergo distinctio horum entium positivorum non consistit in ipsa relatione: consequentia evidens est; antecedens probatur manifeste, ideo Petrus respicit Paulum ut quid ab eo distinctum, quia Petrus non est Paulus, sicut enim prius supponitur actio, & agens quam dari possit relatio agentis, & sicut prius effectus productus quam dari possit in eo relatio producti, ita prius intelligitur, quod Petrus non sit Paulus quam possit intelligi Petrus respiciens Paulum ut quid distinctum ab eo; quod probatur, quia Petrus respicit Paulum negando identitatem cum ipso: ergo hæc negatio supponitur ad relationem. Patet consequentia apud te, quia relationem formalem terminandi non ponis relationem, sed absolutum fundamentum, & apud omnes, quia est certissimum rationem formalem primam